



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Eundem. Vt in Vercellensi  
ecclesia Conspertus creetur episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tendatis: quatenus aut per vos, aut per saluberrimum consilium vestrum citius nobis subuenire omnimodo satagatis. Quoniam tanta istius terræ perditione vndique aggrauati, vndique concussi talia iam sufferre minime valemus. Nam si, quod absit, per vos forte remanserit, vt ecclesia Dei in præsentem defensionem non habeat, & taliter turbata consistat, videte ne ante tribunal Christi, & coram apostolorum principum præsentia, vestræ animæ patiamini detrimentum: quia nos paterna vos admonitione horrantes, secundum ministerii nostri officium ea, quæ Dei sunt, & salutis vestræ proficua, agere incunctanter conuenimus. Missimus autem ad vos præsentem missos nostros Ioannem & Paschalem venerabiles episcopos dilectos fideles nostros, quos petimus vt pro nostro amore benigne recipiatis, & eis locum familiaritatis tribuatis, atque ea, quæ vobis de nostra parte dixerint, libentissime attendatis. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.

## EPISTOLA CLXXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVMDEM.

Vt in Vercellensi ecclesia Conspectus creetur episcopus.

*Dilecto ac spiritali filio Carolomanno glorioso regi.*

**M**ISSIMVS cum his præsentibus missis nostris hunc venerabilem diaconum nomine Conspectum, vobis, vt credimus, notum, in seruitium magnitudinis vestræ: quem petimus, vt pro nostro amore benigne recipiatis; & quia nobis ac vobis fidelis existit, rogamus excellentiam vestram, vt episcopatum Vercellensis ecclesiæ placido animo tribuatis. quatenus, Deo auxiliante, per nostram, ac vestram munificentiam episcopali dumtaxat honore potitus, nobis omnibus existere deuotior, atque fidelior possit. Data VII. die mensis Iunii, indictione XII.